B. N. C.
FIRENZE
1047
I

1047.1

IN SERENISSIMI

FERDINANDI II.

MAG. ETRVR. DVCIS

Feliciter exactam Infantiam.

Panegyris.

IOANNIS VISCONTII ACAD. DISVNITI,
Cognomento Aggirati.



PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M. DC. XXIII.
Superiorum permiſſu.

1047. 1
FLORENTINAE BIBLIOTHECAE
BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

PRAEFATIO.

CReſcit vt emenſo glaciali tempore Phœbus,
Pubeſcitq; comis ditior ipſe ſuis,
Terra miniſtra virens nitido gratatur ephebo,
Quotquè parit flores officioſa dicat:
Sic Fernande tibi vernat dum pulchrior ætas,
Incipis & magni munia ferre Ducis,
Subdita pierio decerptos gramine flores
Muſa dicat; quamuis quem cupit abſit odor.
Carpe tamen, nec ſperne: ſemel ſi naribus addis,
Afflatu incipient illicò olere tuo.

PANEGYRIS

TVſcia fatidico dominam quam doctus aruſpex
Ore probat, matremq; vocat, cui Pallas vtrinque
Indulget decorata metu, metuenda decore,
Concipe lætitias præſaga mente futuras,
Quas tibi non falſo portendunt omine fibræ,
Non Phœbi cortina loquax, adytiſquè repoſta
Implicet ambiguis nec quæ reſponſa loquelis:
Præſcia laurigeros inter nutrita triumphos
Sed virtus ventura docet, nec fallitur vnquam,
Sæcula tranſactis iungens venientia ſæclis.
Aurea naſcentis veluti cunabula lucis
Aetheream ſine nube facem, nitidaſq; quadrigas,
Et benè triticeis ſurgentia ſemina ſulcis
Ditia congeſtas ſubituras horrea meſſes,
Plenaq; florigeri præſignant muſta nepotes:
Lactea ſic ſolidum nudant primordia tempus,
Et prætexta togam monſtrat: mens alta Catonis
Conſtitit a teneris, dum reppulit ore Latinum.
Principis imbelles igitur ſi conſpicis annos,

Primaq;

Primaq; virginei luſtras elementa pudoris,
Auſpicium fatale tenes; certuſq; futuri
Exitus acclamat, plenis noua gaudia votis
Concipit, & latiæ redeuntia ſæcula pacis.
Quæ propior ſceptris facies? hunc Gratia pingit,
Gratia quę triplici ludens glomerata lacerto,
Ora mouet, vocemq; regit; Cyllenius aſtat,
Verbaq; mellifluis ſpargit volitantia ſuccis;
Iuppiter in vultu eſt; hilaris clementia frontis
Arce ſedens media terroris nubila damnat;
Phœbus alit crines; rutilantia lumina mixtim
Qui in fera ſanguineas producit bella cohortes,
Quæq; pias nectit ſociali fœdere mentes.
Quam benè cum placido grauitas coniurat amicè.
Hinc acies ſi quando virum digniſſima fertur
In cœtum; trepidare mali, ſpem ſumere iuſti:
Obtutu ſe quiſq; probat; qui lumina Magni
Suſtinet, & frontis patitur ſplendeſcere ſoles,
Hunc populi plauſus recipit, meritoq; decore
Cingitur, & celſa diues ſpatiatur in aula:
At gemino refugos torſit qui ſidere viſus,
Vilia regifici ſectatur honoris egenus.
Indole te magnum prodis, maiorq; probaris
Factis, vix benè facta tener dum concipit annus:
Vincitur ingenio tempus, feſtinaq; voti
Degit in anguſto grandis ſapientia corde,
Imperij quę prima dies tibi ceſſit habenas,

Auſpicijs lætata tuis, effræne dolorum
Agmen, & vndantes lacrimas, queſtuſq; repreſſit.
Luctus erat terræ, ſubijt cum Coſmus olympum,
Luctus erat, qualis; defuncto ſidere noctis;
Per medios agitur pelagi cum cymba timores;
Puppis, & vnda gemit; gemitum caua littora reddũt,
Pullaquè nimboſis horret Nereia ventis.
Imbre madet Tuſcus: lègat ſolatia Gallus,
Lègat tergemino cinctus diademate Paſtor;
His vacat officijs trabea conſpectus, & oſtro
Auſtriacus, regniſq; potens, cui clauſor olympi
Heſperus imponit nomen: compònitur omnis
Ad fletum populus; teſtantia verba dolorem
Nunciat; atrato ſtipantur ciue penates.
Tu Puer haud laſſas præbes orantibus aures,
Egregiaſq; graui laudes ſermone rependis.
Maieſtas mærore magis, mærorq; viciſſim
Maieſtate viget: pietas, animuſq; virilis
Perpetua inclinant faciles ad fœdera dextras.
Hinc tenero primùm virtus erupit ab æuo
Te magnum confeſſa Ducem. ſic Hercule quamuis
In cunis reptante, manus ſtrinxere colubros,
Emicuitq; ſolo prior Herculis Hercule virtus.
Non tamen elati quicquam, tumidiq; referre
Os puerile vides. multos commiſſa poteſtas
Inflat, & in populos alta ceruice minatur.
Tù ſimul ac dominis fulſerunt ora coronis,

Con-

Confugis ad mores Auię, Magnæq; Parentis,
Ac gemino veluti virtutis robore fultus,
Reſpuis excelſa vitabile crimen ab aula
Quæ pater humana nuper compagine cinctus
Vouit, & abrupto vitali ſtamine liquit
Perficis, ac proprio lætantur ſingula fine.
Hinc tibi quantumuis duro non cognita Marti,
Impatiens ferriq; dies in ſæua negaret
Bella paludati decus immortale Magiſtri,
Biſſeni conſulta tamen dixere capacem
Militis: extemplò niueę te cycladis ambit
Tegmen, ab extento fulgens anſata lacerto
Purpura quod variat, ſummi decorantquè Tonantis
Signa tremenda Crucis: ſimili nitet ordine multus
Miles, & induto translucet ſyrmate ferrum.
Hic tua iuſſa probat, quoties tu pace dècorus
Externis retegis populis te quanta coronet
Nobilitas, qualiſq; colat per regna miniſter:
Seu Martis generoſa placent diſcrimina; raptim
Arma rotat, rubriſq; effulget curia caſtris:
Seu pelagi tentare fidem; dat carbaſa ventis
Protinus; & tumidus centeno robore ponthus
Frangitur; emenſo redeunt caua tranſtra profundo;
Pulchraq; veligeros ſequitur victoria currus.
Ominibuſq; tui fertur dum fama ſecundis,
Teq; canit magnum, maiori mente laboras
Te Princeps ornare domi, famamq; minorem

Reddere perſpicuis factis: tu ſemina iuſti
Prima foues regni, pietas dum plurima pectus
Armat, & æthereis flagrant præcordia flammis.
Extera nulla poteſt animum contigere cura,
Nec ſtudijs vrgere ſinum, ni mente profunda
Ante Deum flectas; precibuſq; in vota vocato;
Optima cunctarum ſumas exordia rerum.

Hinc te, ſeu latiæ teneant præcepta Mineruę,
Seu legum ſalebroſa iuuant ænigmata, ſeute
Claſſica ſanguinei capiant ſtridentia Martis,
Exitus eſt voto maior. dum priſca reuoluis
Facta Patrum, ſeriemq; notas, numerumq; recenſes
Quos pia perpetuo decorat cognomine virtus,
Aemula flamma micat; ſubitò vis ignea motu
Concita ſuſpendit mentem, ſenſuſq; relegat.
Sic ſolitus curſu ſonipes attingere metam,
Aerata clangente tuba, ceruice laborat
Frangere luctantis ſpumantia lora Magiſtri,
Pulſat humum, ſpargitq; iubas, pedibuſq; citatis
Elicit excuſſo ſilicum de ventre fauillas.

Dat tibi præterea facilem ſapientia curſum
Aethereis diducta plagis: tibi multa pateſcunt
Abdita, quæ priſci torſerunt ſæcla Quirini.
Quod niſi ſub cano plures didicere capillo
En tibi depromunt triplicis confinia luſtri.
Tempora quę blandus ſolet interuertere luſus
Et ſemper nocitura bonis inimica voluptas,

In

In cordis reuocas ſtudium: ſolatia feſſi
Sunt animi duro vires vrgere labore.
Venantem te ſæpè tremunt ſpelea ferarum;
Et nemus omne pauet quoties indagine ſaltus
Cinguntur, celereſq; ruunt per teſqua moloſſi.
Se penitus denſa eluſtrant formidine beluę.
Vngue ferox pars dente ferit, pars maxima rictu
Horrida, latrantis ſtimulis accenditur iræ.
Nec mora multiplici ſimulante tonitrua bombo
Plumbea grando ruit; reboant tormentaq; dextræ
Certa tuæ: rapidis veluti cum mixta procellis
Ignea nodoſas explorant fulmina quercus.
Non fuga cæca iuuat memorum per deuia ceruos;
Setigeros non dente ſues armata recuruo
Ora: cadunt pariter cum plebe feroces:
Mænalius ſpoliatur honos: mox cęde relicta
Arcadica, priſcam reuocas ad munia mentem.
Alterno ſic iure viges: nunc pulchra fatigat
Cura tuos artus, animum nunc pulchrior ornat.
Non igitur dubijs felix Etruria votis
Inſignem tibi finge Ducem, regimenq; beatum:
Eſt animus regni Princeps, animoq; nitenti
Membra ſerenantur populi; moreſq; regentum
Afficiunt ciues: pax celſa vbi regnat in aula,
Non humiles agitat diſcordia dira penates.
Non populus ſæuit, pietas ſi in cæſare fulget:
Aureus eſt Princeps, cernes meliore metallo

Et

Et mores florere nouos, & ſæcla redire
Aurea, quæ toto raptum decus orbe reducant.
Nuda Charis nexu triplici quę ludis eburno,
Et genios hominum ſocias, tellure puellam
Quare parem, clarus numeret cui ſanguis vtrinq;
Annoſam regum ſeriem, quam fronte modeſta
Flos animę virtus pingat, ſcribatur ab arcu
Area pertenui frontis; diuortia rectus
Iungat odoratus; geminum conuexa ſerenet
Sidus; & obtutu modico ſe promat honeſtas;
Ornet labra rubor; riſuſq; per ora decorus
Albicet; & teneras imitentur colla pruinas;
Nix animata ſinum moueat; ſe mole ferentis
Erecta teretes ſignent veſtigia greſſus:
Cedat forma animo; primo ſapientia flore
Quam decoret, roſeas vincat ſplendore puellas
Græcia quas iactat titulis, nomenq; latinum:
Hanc Charites ſociate Duci; connubia firment
Non Venus, aut cæco ſuſpirans igne Cupido,
Sed ſincera Fides, & caſtis iura maritis
Aetherea præſcripta manu. ſic aurea proles
Naſcetur, famulo ſemper quę regnet in orbe.

FINIS.

99952576